

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

17 Vtrüm homicidium, vel aliud damnum irrogatum per ma[n]cipium
tuum, vel animal, tibi imputetur, & quid si per filium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

per taum predium currentes, è quibus aqua in
puteum vicini influerat, prætexu alictius ope-
ris intercipias: si cloacam in predium alienum
aperias, &c.

D V B I T A T I O X V I I .

Vtrum homicidium, vel aliud damnum
irrogatum per mancipium tuum, vel
animal, tibi imputetur; Et quid si per
filium.

¹¹⁵ R Esondeo, & Dico Primò, Si tua culpa lata
ad factum est, tibi imputatur, & teneris ad
restitutionem totius damni; vt, si iusseris, suaseris,
impuleris, vel si negligens fuisse in praecaudendo.
Neque tunc sufficit, seruum vel animal noxae de-
dere, id est, ad noxiam seu damnum sarcire, dum,
sed rotum damnum compenfundum: vt habetur
L. Si seruus, 2. &c. de noxalibus action. & cap. Si
culpa 9. de iniuriis & damno dato. Dixi culpa la-
ta: quia de leui & lenissima extra contractum & of-
ficiu, non teneris: vt suprà cap. 7. dub. 6.

¹¹⁶ Dico Secundò, Si nulla tua culpa interuenierit,
non teneris ad totum damnum; sed sufficit, man-
cipium vel animal noxae dedere: liberum tamen
tibi est vel damnum compensare, vel rem que no-
ciuit dedere. Est communis sententia DD. & ha-
beatur expressè locis citatis. Vide Siluestrum Re-
stitutio 2. versus finem. & Restitutio 3. q. 4. Ratio
est: quia dominus non tenetur hinc ratione sui, sed
ratione rei sue, quae restitutioni obnoxia manet:
mancipium quidem ratione culpa (si enim non
peccauit, non manet obnoxium) animal vero ra-
tione legis ita disponentis. Cumque mancipium
& brutum nihil habeant a se distinctum, quod
pro damno accipi possit, cōcessum est ei qui dam-
num accepit, vt ex ipsorum corporibus sibi com-
penserit: utrumque enim pretio est estimabile. Hinc
fit, vt dominus subeat obligationem restituendi
pro damno, vel corpora ipsorum, vel damni pre-
mium.

Sed dubium est, Vtrum in conscientia tenearis
ante Iudicis sententiam.

¹¹⁷ R Esp. & Dico Tertiò, Seposito Iure positivo,
non tenetur dare corpora, vel premium damni, ante
sententiam. Probatur Primò,

Quia nec tenetur ratione rei accepta, cum haec
non extet, nec ratione iniuste acceptio vel dam-
nificationis, quia absque omni eius culpa cōmis-
sum. Secundo, Quia seruus Iure natura non ma-
net obnoxium restituti, ita vt ipse se debeat tra-
dere laeso in compensationem; quinim potest se
abscondere & fugere: ergo nec dominus Iure na-
ture tenetur illum tradere, sed potest iuuare ad la-
tebras & ad fugam. Si enim est aliqua obligatio in
domino ad eum tradendum, ea est fecundaria, ora
ex obligatione serui, qui est auctor damni. Itaque
cum seruus non teneatur se tradere pro domino,
nec dominus tenetur. Idem dicendum de animali:
non enim animal Iure natura manet obnoxium
laeso, quia non peccauit; sicut neque statua ænea,
qua casu lapſa, aliquem laſit, obnoxia manet.

Dices, Is qui laſus est, Iure natura potest com-
pensare sibi damnum ex re qua laſit, si præter se-
ipsum illa nihil habeat: ergo, &c.

R Esp. Primò, Antecedens non esse verum, vt
pater in statua non enim statuam illam sibi vindicare
potest. Secundò, etiam si verum esset, non tam
men inde sequeretur, dominum teneri tradere, nec
posse abscondere. Nam illud ius laſi solum est
conditionatum, nempe si possit animal vel seruum
capere. Seruus enim potest fugere, & se absconde-
re. Itaque dominus vt sibi vel seruo consulat, po-
test ad hoc iuuare, nisi aliunde prohibeat.

Dico Quartò, Probabile est, neque Iure positi-

uo ad id teneri ante sententiā. Petr Nauar. I. 2. c. 1.

n. 3. & putat id esse verius; quia iste leges videntur

esse penales. Sed non propriè possunt dici poena-

les, cum aperte excludant omnem culpam domi-

ni, vt patet L. Si seruus. & cap. Si culpa suprà, sed

constituant id, quod est contentaneum naturali

æquitati, & quid in tribunalibus debeant Iudices

judicare, intetdum enim Iudex auctoritate legis

potest decernere per sententiam aliquam resti-

tutionem, que ante sententiam non erat debita.

Sicut enim in poenam potest injungere aliquam

solutionem; ita etiam ob pacem publicam, dum

æquitati est consonum.

Ratio igitur, cur ista leges ante sententiam non

obligen, est: quia videntur solum pertinere ad fo-

rum externum, neque aliter vnu recepta. Nam

homines passim ignorant has leges.

Dices, Gregorius I X. cap. vlt. de iniuriis, sic ait: Obiectio.

Quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus

ad satisfactionem teneris; nisi ea dando passis dam-

num, velis liberare seipsum. Vbi aperte insinuat ob-

ligationem ante sententiam.

R Esp. Ob hoc argumentum, est satis probabile Contra-
contrarium, idque multi DD. tenent. Responderi rium ta-
tamen potest, illa verba posse intelligi de obliga- men non
tione in foro externo; quod insinuant illa verba minus pro-
Nisi velis liberare seipsum, nempe ab impetracione
actoris: vel certe non est vnu receptum.

Notandum est, Si seruus vel animal cōperint 120
esse extra potestatem dominii, definit erga illum

actio: vt habetur §. Omnis autem, Instit. de no-

xal. actio. Si in alterius potestatem venerit, erit

actio contra illius dominum: si fuerit manumis-

sus, conueniet ut liber poterit quidem dominus

vendere, sed tenetur emptori indicate virium, id

est, esse obnoxium. Hæc & alia vide Institut. &c.
de noxalibus actionibus, pertinent enim ad forum

externum.

Sed quid si filius familias occiderit, vel dam-

num dederit?

R Esp. & Dico Quintò, Parentem non teneri ex delicto filij vel damnum sarcire, vel filium noxae dedere, si absque parentis culpa commissum. In-

stitut. suprà, §. vltimo. Ratio est, Primò, Quia ini-

quum est, vt nequitas filij vel filiae, parenti, ultra

ipsorum corpora, damnola sit, vt de seruis dicitur

Institut. suprà, §. 1. Cumque ex alia parte parentis

non sit dominus corporum horum, (unt enim li-

bera) non etiam ratione horum, actio contra pa-

rentem potest institui. Confirmatur; Quia nimis

asperum est, vt parentis cogatur corpora liberorum

suorum noxae dedere. Secundò, Quia filius fami-

lias cum sit liber, pro suis delictis conueniri po-

test; vt habetur §. vltimo, suprà. manet enim ex

suo delicto obligatus tamquam liber, & capax do-

minij. Vide Siluestrum Restitutio 2. versus fi-

nem.